

quære in tabula ad eius elevationem condita loca signiferi, ipsis ascensionibus aut de-  
 scensionibus debita, quæ pro loco primo anno natiuitatis conuenienti in capite ta-  
 bulæ Algebuthar assignabis. Postea pro singulis annis sequentibus ordine singulos  
 gradus illis ascensionibus aut descensionibus adijcies, collectumq; in sua Tabula per-  
 quirens obseruabis, cui signiferi loco respondeat, is enim eo anno diuisionis ius di-  
 spositionemq; sibi uendicabit. Vt exempli gratia pro Algebuthar ipsius Horoscopi,  
 supra inuenta est ascensio eius obliqua, sub circulo positionis seu Horizonte, super  
 quem Boreus polus 48 gradibus eleuatur, 274 grad. 49 minut. cui respondent in  
 sua Tabula m̄ 26 grad. 12 minut. Hunc igitur gradum ( quia non libet scrupulose  
 omnia exquirere) primo anno assignabis. Postea uno adiecto æquatoris gradu ad  
 ascensionem obliquam Horoscopi, 175 grad. 48 minut. ascensionem obliquam Ho-  
 roscopi, pro anno secundo natiuitatis conficies, cui respondet fere in tabula sua 27.  
 m̄. Atq; ita æquabili graduum progressione seu adiectione obseruata, totam gra-  
 duū seriem tabulæ, pro singulis annis nati inserendorū adminiculo tabulæ ad eam  
 elevationem factæ comperies. Sic age pro reliquis domorum, & locorum natiuitatis  
 Algebuthar, seu diuisionibus inuestigandis, iuxta suos Horizontes, quorum poli  
 eleuationes supra characteres planetarum assignatas cernis. Cæterum gradibus di-  
 uisionum ita compertis, postea dominos terminorum, tantum adscribe ex tabula di-  
 gnitatum essentialium, in Isagoga nostra præscripta, qui diuisorum appellationem,  
 dignitatemq; hoc in loco obtinebunt. Quibus peractis habebis totam tabulam Al-  
 gebuthar, ut conuenit, non solum diuisionum gradibus, uerumetiam diuisoribus suis  
 exornatam, qualis sequitur.

Circulus